



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Iustitia Et Ivre, Continens Tractatus De Prudentia, Fortitudine, &  
temperantia, de Ieiunio, & Iustitia generaliter sumpta, de Iustitia  
commutativa, nempe de Pactis, & Contractibus in genere, de Promissione,  
& Donatione liberali, de Commodato, & Deposito, de Mutuo, & Vjura, de  
Emptione, & ...

**Castro Palao, Fernando de  
Lugduni, 1669**

XXI. Num re vendita cum expressione quantitatis si postmodum reperiatur  
maioris, vel minoris quantitatis debeat pretium augeri, vel diminui.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76677)

gendus est ad vitam iurisdictionem alienare.

7 Deinde possunt edificantes in proximi damnum impediri.

1 Per se nullus compellitur contractum emptionis, aut venditionis inire. Nam cum hi contractus libero contrahentium consensu perficiantur ab omni compulsionis liberi esse debent. Ut colligitur ex leg. in iurim. Cod. de contrahend. vendit. leg. nec emere. Cod. de iure delib. leg. regia. 3. tit. 5. par. 5. & pluribus exornant, Ant. Gom. 2. var. c. 2. Azvedo leg. 1. r. 2. 5. noua col. l. 1. num. 2. 1. & seq. Paul Layman lib. 3. sect. 5. tract. 4. c. 17. §. 5. num. 34.

2 Sed quia saepe bono communi, & religioni expeditissimo necessarium est, ut quis propriam rem vendat, aut alienam emat, poterit tunc hae necessitate & utilitate ad id compelli ab iis a quibus pendet publica gubernatio. Quia cum potestatem gubernatorum habere Reipublica maxime necessarium est, ut praefati Doctores resoluant; incertum tamen est, an ad hanc compulsionem per inferiores iudices faciendam oporteat necessitatem boni communis adesse, vel sufficiat illius utilitas & conuenientia. Ut videre est in Couartuu. supra.

3 Ex his inferitur rempublicam triticum congregantem in subsidium necessitatis probabiliter futurae ea postmodum non eueniente posse in suos illud triticum distudere, & ad emendum iusto pretio compellere. Item posse ob oblationis timorem compellere ciues, ut victualia necessaria emerent &c. & sic de aliis euentibus Laym. d. c. 17. §. 5. n. 34.

4 Secundo compelli potes saltem a supremo Principe, ut domum vendas pro Ecclesia aedificanda, Monasterio vel Hospitali, aut palatio Principis construendo, vel ampliando, via publica necessaria ad aliquem locum paranda, argum. Textus leg. si locus §. vlt. ff. quemadmodum seruitur. amittantur. & leg. si quis sepulchrum. ff. de religiosis. et in scriptis funer. & tradunt Anton. Gomez. dicto numer. 5. 1. Couartuu. numer. 7. Gregor. Lopez. dicta leg. regia. 3. gloss. 1. Mol. disp. 3. 41. Ad idem est si velis Ecclesiam, aut alterum locum pium in loco conueniente qualiteri socio communis est, poteris socium compellere ut partem suam vendat iusto pretio, quia pietas & religio impedit non debet. Ut relato Baldo probat Anton. Gomez. supra. argument. leg. 2. Cod. de communi seruo manum. ubi fauore libertatis cogitur quis seruum commune iusto pretio vendere, cum alter socius cum manumtere vult.

5 Tertio ciues habentes frumentum, aliaque victualia saepe coguntur a magistratibus iusto pretio designato vendere, ut communi egestati succurratur, ut probat Textus in leg. 1. §. cum carnis §. de officio praefecti urbis. Et aduertit Anton. Gomez. dicto cap. 2. numer. 5. 1. Couartuu. 3. var. cap. 14. numer. 8. Molin. disp. 3. 41. Ob eandem rationem poterit iudex impedire ne quis ex victualibus ultra necessitatem emat, ne aliis necessaria deficiat, vel carius vendantur argum. leg. si Dominus ff. de his qui sunt sui vel alieni iuris. & habetur leg. regia. 6. tit. 2. 1. part. 4. & notat Anton. Gom. loc. cit. Item ne exteris vendantur, sed solis ciuibus, cum vtriusque non sufficiunt.

6 Quarto dominus seueriter, & inhumanè suum seruum tractans cogetur illum vendere iusto pretio, quia Reipublica expedit, ne permitat quemlibet sua re abuti, & proximo iniuriosus esse. Vti dicitur §. fin. institut. de his qui sunt sui vel alieni iuris. Et idem est, si ad curpia, aut illicita pertraheret, vti Anton. Gomez. Couartuu. Mol. & Laym. supra. aduertunt. Ex qua Doctrina praedicti Doctores merito inferunt, cum Dominus temporalis subditos inique vexat cogendum esse iurisdictionem alteri saltem ad sui vitam vendere, vel illa priuandum esse, argum. leg. vniuersales quod si quacumque praedictus potestare, & cap. litteras in fine de restitu. spoliariorum.

7 Quinto ad praedicta reduci potest potestas quam iudices habent impediendi ne alter in proximi damnum aedificet, aut fenestras aperiat. Nam esto cuiuslibet in suo praedio concessum sit aedificium attollere, fenestras aperire, si tamen id cedit in praedicius alicuius loci Religiosi, eo quod Virgines Deo dicatae, imo viri Religiosi videantur & censuerunt impediendi poterit. Item impedire poterit implorato iudicis officio aedificium, ex quo tuum praedium iniuste reddiatur, vel magni praedicius generatur, aedificari vero parum, vel leue commodum afferat. Vide Couartuu. dicto cap. 14. & Anton. Gomez. dicto cap. 2. in fine. Molinam. disputat. 709. Layman. dicto §. 5. n. 34. Andream Gaill. lib. 2. obferuat. 69.

PUNCTVM XX.

Num vendita re censuris totum vendere, & quidquid illi est accessorium?

1 Censuris totum vendere aliquis teneris de emptione. Ferd. de Castro. de Iust. & Iurc. Pars II.

2 Item censuris accessorium vendere, nisi contrarium declarare.

CVm emptor conficius est rem venditam venditoris integre esse, sed pro parte eam solam partem censetur emere. Vti colligit Anton. Gom. 2. var. cap. 2. numer. 12. ex leg. qui ravernas. ff. de contrahenda emptione, quia non est praesumendum velle alienum emere. At si emptor praesumit, ut semper praesumere debet rem sibi venditam integre venditori competere censendum est liberam & expeditam emere, quia sic emenda ei proponitur. Vnde si aliqua ex parte euicta fuerit tenetur venditor de euictione. Ut probat lex cum venderes. ff. de contrahenda empr. Quod procedit in quolibet alio contractu oneroso locationis, permutationis, conductionis, dotis & similibus, ob praedictum quod contrahenti ex ea deceptione accrescit. Secus est in contractu lucratiuo, quo donatarius vel legatarius credens integre donatum, vel legatum sibi competere, agere non poterit aduersus donantem vel legantem de euictione, si forte fuerit euictum, quia nullum damnum ex ea euictione accipit, tamen si lucro acquirendo fuerit impeditus leg. si domum §. fin. leg. quod in rerum §. 1. ff. de legatis. 1. c. pastoralis de donationibus. & pluribus exornat Anton. Gomez. 2. var. cap. 2. n. 12. Rebell. 2. p. de obligat. in lib. 9. quaest. 17. sect. 1.

Deinde vendita re censuris vendere quae illi adherent, & sunt accessoria dum contrarium non exprimit, ex reg. accessorium de reguli iuris in 6. Res enim quae alteri accedit & cohaeret vna & eadem res cum illa iudicatur, leg. plerumque ff. de adilitio edito. Hinc inferunt Anton. Gomez. Rebell. supra. Si vendas, loces aut dones domum, vel fundum te censeri vendere, locare, aut donare domum, vel fundum ei accessorium eodem nomine nuncupatum leg. scilicet §. Tyrana ff. de fundo instructo, & instrumentum leg. 1. c. 1. §. praedicti §. fin. ff. de legatis 3. Secus esset, si diuerso nomine nuncuparetur, quia tunc praedium, seu fundus non vt accessorium, sed vt quid separatum & per se reputandum est, vt praedictae leges comprobant. Secundo inferunt vendito fundo arbores, fontes, hydra, stagna ipsi solo per se adherentia censenda sunt vendita. Secus si facile moueri possunt, vti torcularia, molendina, & dolaria in iure quae venditis obiectis non videntur vendita nisi exprimantur, censentur enim per accidens adherere & facile moueri posse. Vt inquit cum Lopez. de contractibus cap. 52. Rebell. 2. part. de obligat. in lib. 9. quaest. 17. sect. 1. in fine. Tertio inferunt Anton. Gomez. & Rebell. venditis ancilla, vacca, ovis, &c. censeri fecerit non solum in earum ventre existentes, sed iam natos vendi, dummodo ab ipsis matribus alantur, argum. leg. Sed adesse §. si quis mulierem ff. de iur. iur. Quarto inferunt vendito equo censeri vendita illius ornamenta, si tempore venditionis ornatus ostendatur, quia ea ostensione tacite indicatum fuit sic venditum esse velle. Secus vero si nudus ostendatur, vel in absentia venditio celebretur, quia ornamenta non adherent equo per se sed per accidens. Sicut colligitur ex leg. adiles la 2. ff. de adilitio euictio.

PUNCTVM XXI.

Num re vendita cum expressione quantitatis, si postmodum reperitur maioris vel minoris quantitatis debeat pretium augeri, vel diminui?

- 1 Proponitur certum.
- 2 In quo est difficultas.
- 3 Si venditio incipiat a corpore, & unico pretio instituaturs censendum est totum illud pretium vendi.
- 4 Si venditio sit corporis plures existimant non esse pretium minuendum vel augendum, si plures, siue pauciores mensura reperiantur.
- 5 Temperant aliqui dummodo incrementum, aut decrementum modicum sit.
- 6 Alij censent ob incrementum, vel decrementum quantitatis expressa pretium augendum, vel minuendum esse.
- 7 Ob excessum nulla est obligatio.
- 8 Secus ob defectum.
- 9 Expressum non vitatur.

Tota difficultas versatur in explicando quo pacto quantitas exprimaturs, an animo demonstrandi rem venditam, an restringendi alienationem? Et quidem si constet exprimi quantitate animo restringendi alienationem, ea sola quantitas quae fuerit expressa censetur vendita. Secus vero si animo demonstrandi rem venditam expressio fiat.

Difficultas autem est, cum id verbis, aliisque circumstantiis colligi perfecte non potest. Vt si dices vendo tibi hunc agrum decem iugera habentem, vel hoc dolium vini, quod habet decem amphoras: nam haec venditio intelligi potest fieri ad mensuram, ita vt sola decem iugera, vel amphorae censenturs venditae, vel fie-

ri potest ad corpus, ita ut censetur venditum corpus siue plures mensuras, siue pauciores habeat.

3 Quia in re omittis variis sententiis ea est communis quae affirmat, si venditio incipiat a corpore, & unico pretio instituitur censendum est totum illud corpus vendi, tamen plures mensuras contineat. Ut in exemplo posito, *vendo tibi dolium 20. florenis, quod decem amphoras habet.* Ut colligitur ex leg. *ade sacra. vers. 1. ff. de contrahenda emp.* Secus esset si venditio non a corpore, sed a mensura inciperet. Vt si diceret: *vendo tibi decem iugera quae habeo in hoc agro, vel decem amphoras quae sunt in hoc dolio* tunc enim si plures mensurae adessent inuenditae censentur. Et idem est si non unico pretio, sed multiplici iuxta mensurarum multipliciter venditio incipiens a corpore institueretur. Vt si diceret *vendo tibi dolium quod decem amphoras continet, unquamque amphora duobus florenis*, quia ea venditio non tam corpore est quam quantitas determinata, scilicet decem amphorarum quas obligatus es emptori tradere. Sic ex communi sententia tradit Anton. Gom. 2. *var. capit. 2. numer. 16.* Couarr. *pract. qq. capit. 3. numer. 5. & seqq.* Molera *trat. 2. disp. 367. ante med. Paul. Laym. lib. 3. sum. sect. 3. tract. 4. cap. 17. §. 2. num. 13.* Reb. 2. *part. de obligat. instit. li. 9. q. 17. sect. 2.* Et colligitur aperte ex leg. *qui fundum §. qui agrum. ff. de contrah. emp.*

4 Sed an cum venditio intelligitur esse de corpore pretium minuendum sit, vel augendum, si plures, vel pauciores mensurae expressis reperiantur, non conueniunt Doctores. Nam Ant. Gom. 2. *var. capit. 2. numer. 16.* quem sequitur Reb. 2. *p. de obligat. instit. lib. 9. qu. 17. sect. 2.* existimant nullam esse obligationem augendi, vel minuendi pretium, sed incrementum, & decrementum emptori cedere, eo quod illa quantitas expressio non ad arctandam venditionem, sed ad demonstrandam & significandam ipsam rem venditam facta est. At falsa demonstratio non vitiat venditionem, donationem vel legatum leg. *demonstratio. ff. de conditionib. ergo.*

5 Hanc sententiam temperat Pinel. in leg. 2. *Cod. de rescind. vendit. 2. p. c. 2. n. 8. et 9.* dummodo incrementum, vel decrementum postmodum reperta leuia sint, quia eo casu contrahentes non sunt iniuri. Secus vero si excessus, vel defectus à quantitate expressa magni momenti fuerit, tamen tunc potius sanandum sit emptori, quam venditori.

6 Alij è quorum numero est noster Molin. *disput. 367. post med.* vniuersaliter affirmant ob incrementum, & decrementum quantitates expressae pretium augendum vel minuendum effectualiter deciperetur venditor vel emptor.

7 Ceterum alter existimo dicendum, cum excessus à quantitate expressa reperitur, ac cum reperitur defectus. Nam cum reperitur excessus nulla est obligatio emptori augendi pretium, sed totum incrementum ipsi cedit ob pretium constitutum. Quae fuit sententia Caroli Ruini *conf. 83. lib. 1.* Parisij *conf. 64. lib. 1.* Socini Iunioris *conf. 42. lib. 1.* Couarr. *pract. cap. 3. numer. 2. vers. quarta species proponitur.* Fachin. *lib. 2. controuers. capit. 27.* necnon Reb. *lib. 2. quaest. 17. section. 2.* Tamen si contrarium sentiant Decius *conf. 500.* Curtius Iunior. *conf. 131.* Cagnol. in *dicta leg. 2. Cod. de rescind. vendit. numer. 182.* Moueatur, quia intentio vendentis (vt supponimus) fuit venditionem perficere de illa specie seu corpore, v. g. de illo fundo pro cuius naturae significatione quantitatem expressit. Ergo si deceptus fuit in eius expressione, eo quod plures mensurae quam ipse expressit reperiantur, non obinde venditio immutanda est. Tum quia sibi imputare debet venditor quod certam quantitatem non agnouerit. Tum quia illa quantitas expressio facta est, vt emptor ad emendum alliceretur, qui finis efficacius obtrinetur, si emptor cognosceret maiorem quantitatem expressa ibi contineri. Praeterea sunt leges hanc partem manifeste decedentes. Nam leg. *si venditor. ff. de actionib. empti*, vbi venditor hominis dixit peculium eum habere decem &c. & inquit textus. *Et si plus habet totum praestet.* Item leg. *si duorum. ff. eodem*: vbi duo fundi venditi fuerunt vno pretio, vniuersaliter numero iugerum designato, vt indicant illa verba. *Si duorum fundorum venditor separatum de modo cuiusque pronuntiauerit, & ita vtrumque vno pretio tradiderit &c.* subiungit. *Nec enim id quod amplius in modo agri inuenitur quam alioquin dictum est ad compendium venditoris, vel emptoris pertinet.*

8 Contra res se habet, cum defectus à quantitate expressa reperitur, nam eo ipso debet venditor in foro conscientiae, & in exteriori compelli actione quanti minoris ad pretium designatum minuendum. Vt docuerunt Paul. de Castro in leg. *si seruum. §. si modus ff. de actionibus empti.* Socin. Iun. *d. conf. 42. numer. 21. lib. 2.* Couarr. *pract. qq. cap. 3. num. 7. & seqq.* Fachin. *lib. 2. controuers. cap. 27. post med.* & videtur conuinci ex *dicta leg. si venditor*: vbi venditor hominis dixit eum habere peculium decem, & se nihil ablaturum, & inquit Textus, *& si plus habet totum praestet. sed minus praestet esse decem, quid clarius? & in dicta leg. si duorum ff. de actionibus empti*, vbi postquam dixerat emptori competere, si amplius in modo agri inueniatur quam alioquin dictum est, addit *tunc tenetur venditor, cum minor modus inuenitur.* Ratio efficax est, quia ea expressione quantitas indu-

ctus est emptor ad emendum illam speciem seu corpus siue non empturus si sciret tot ibi mensuras non contineri. Ergo ratione doli, & deceptionis obligatur venditor vel emptor, vt tradere quantitatem expressam. Neque his obstat quod reperitur maiori quantitate expressa emptori, & non venditori cedat incrementum, vt inde inferas etiam decrementum cedere debere, nam esto regulariter inter contrahentes aequalitas seruanda sit, fallit tamen in praesenti ob diuersam rationem, quippe cum quantitas maiore expressa reperitur venditor sibi deceptionem imputare debet, qui venditionem non ad corpus, sed ad mensuram institueret poterat. Cum vero minor quantitas expressa reperitur conueni emptor deceptionis potest, vixit dolo ad doctores, vt videbitur vitio seu defectu in quantitate vel qualitate rei venditae non detecto venditionem vitiatam, actionemque emptori concedi vel rescindendi contractum, vel pretium diminuendum.

In donationibus vero seu legatis, si falso donator seu testator expressis mensuram rei donatae, seu legatae non obinde donationem, aut legatum immutandum est, sed concedendum prout de factis fuerit, quia id donator, aut legatario non nocet, ac proinde hae expressiones habendae sunt pro non adiectis iuxta leg. *falsa demonstratio. ff. de conditionibus & leg. 1. & per iterum ff. de legatis. 1. & 3.* & aduertit Reb. 2. *p. de oblig. inst. lib. 9. q. 17. §. 2. circa finem.*

PUNCTVM XXII.

An vitium rei venditae teneatur venditor emptori detegere, vel è contra emptor illius bonitatem venditori?

- 1 Multipliter vitium in re vendita contingit.
- 2 Vitium in substantia nullam reddit venditionem.
- 3 Merces deteriori materia mixta, & inoluta nequaquam pura vendi.
- 4 Nec vinum aqua mixtum, esto diminuat de pretio.
- 5 Si vitium in quantitate, aut mensura intercedat venditionem non reddit inuaidam, at tamen datur actio redhibitoria, vel quanto minoris.
- 6 Vitium quoad qualitatem si per se est manifestum nullo est obligatio manifestandi.
- 7 Excipe nisi praesumatur non potius se agnosci.
- 8 Si vitium occultum sit, redaturque rem minus utilem emptori debet manifestare.
- 9 Eadem obligatione teneris, si vendas mercem emptori reuendituro.
- 10 Temperant aliqui, si res sit absolute vitiosa, esto ad finem emptoris non fuerit. Sed non admittunt.
- 11 Debes rescindere venditionem vacca factam ei qui ad arandum emit, cum tamen ad hunc finem inuailis sit.
- 12 Venditio mercis per vitiosa rescindenda est, esto vitiosa sit emptori.
- 13 Vitium quod non reddit rem notabiliter inuilem si emptor non esset emptoris consensus illius vitii, affirmat plures esse manifestandum.
- 14 Verius est oppositum.
- 15 Satis sit oppositis rationibus.
- 16 In casibus huius deceptionis quae actio concedatur, & quo tempore duret.
- 17 Quid cum plures res venditae sunt.

Parum attendendum est tripliciter vitium, seu bonitatem rei venditae contingere posse. Primum in substantia, vt si vendas vinum pro gemma, aut iaculum pro auro, stannum pro argento. Secundum in quantitate, vt si mensuram augeas, vel diminuas. Tertio in qualitate, vt si animalia infirma, vitiosa tigna, pannum adulatum, vinum corruptum, pendum tanquam sana, & integra vendas, item si vendas domum, praedium, censum alteri obligatum, seu hypothecatum tanquam liberum. Ad haec reduci potest venditio rei adulterata, qualis est venditio vini aqua mixta, frumentum paleae, aliisque femibus inoluti, cerea, feuo, vel pice permixta. Haec enim mixtio reddit venditum deteriores conditionis quam si ea peregrina mixtione careret, quinimo praestat vt error in substantia, vel quantitate contingat, cum vendatur pro vino, frumento, & cerea quod verè non est.

His positus, si vitium in substantia contingat ignorante alioquin ex contrahentibus nulla est venditio, concediturque in toto contractum, & rehabendum pretium, vel rem venditam. Quod in emptore decepto fauent omnes. At cum venditor deceptus putans rem venditam stannum esse cum sit argentum, esse vitium cum sit gemma, seu esse longè minoris valoris quam sit Caet. in *summa verbo emptio. n. 2.* quem sequitur Armilla. *eodem n. 6.* & probabile reputant Ludouicus Lopez, de *contr. actib. c. 48.* Eman. Rodrig. 2. *part. cap. 8. 1.* existimat venditionem validam esse, si emptor